

miraculorum opifex? Cito de terra abstulisti vitam ejus, et securior eum recordor, non timens quicquam pueritiae, nec adolescentiae, nec omnino homini illi. Sociavimus eum coaevum nobis in gratia tua, educandum in disciplina tua, et baptizati sumus, et fugit a nobis sollicitudo vitae praeteritae. Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani. Quantum flevi in hymnis, et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Voces illae influebant auribus meis, et eliquabatur veritas tua in cor meum: et ex ea aestuabat affectus pietatis, et currebant lacrymae, et bene mihi erat cum eis.

CAP. VII. QUAE MEDIOLANI VIDERIT.

Non longe coeperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis, et exhortationis celebrare magno studio fratrum concinentium vocibus, et cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Justina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur haeresis suae causa, qua fuerat seducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia, mori parata cum episcopo suo, servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, sollicitudinis et vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc frigidi a calore spiritus tui, excitabamur tamen civitate attonita, atque turbata. Tunc hymni et psalmi ut canerentur, secundum morem Orientalium partium, ne populus moeroris taedio contabesceret, institutum est: et ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac paene omnibus gregibus tuis, et per caeteras orbis imitantibus. Tunc memorato antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent martyrum corpora Protasii et Gervasii, quae per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras, unde opportune promeres ad coercendam rabiem femineam, sed regiam. Cum enim propalata, et effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam ba-